



DIÖZESE  
INNSBRUCK

## **Digitales Archiv**

### **Abläss Gregor XVI. für Rosenkranzbruderschaft**

**Pfarrarchiv Kartitsch**

**14.06.1839**

**Digitales Archiv**

Shelf Mark: 6.7807.A22

---

CC-BY-NC-ND-Lizenz (4.0)

Creative Commons Namensnennung - Nicht kommerziell - Keine Bearbeitung 4.0 International Lizenz

[urn:nbn:at:at-dai-66983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:at:at-dai-66983)

Gratis.

# GREGORIUS XVI.

## AD FUTURAM REI MEMORIAM.

**E**xpositum Nobis nuper fuit pro parte Venerabilis Fratris Moderni Episcopi Brixinensis, quod Confraternitatibus sub titulo B. M. V. de Rosario in dicta Brixinensi Dioecesi canonice erectis praeter indulgentias iisdem generaliter concessas, quam plurimae aliae sive a Nobis, sive a Praedecessoribus Nostris per unumquemque ex Confratribus, et Consororibus lucrificandae, dummodo tamen iuncta pro hisce consequendis rite in propria respectiva Ecclesia, seu Capella, vel Oratio ab iisdem persolvantur, impertitae sunt. Verum, sicut eadem expositio subjungebat, cum hujus Brixinensis Dioecesis praedictarum Confraternitatum Confratres, et Consorores ad propriam respectivam Ecclesiam, seu Capellam, vel Oratorium tum ob distantiam, et ob aeris intemperiem hiemali tempore praecipue saevientem, tum ob alias rationabiles causas non sine magna difficultate sese conferre haud quaeant, plurimum cupit Exponens supradictus, quatenus omnes et singulae memoratae indulgentiae per praefatarum Confraternitatum Confratres, et Consorores in propria respectiva Ecclesia, seu Capella, vel Oratorio lucrificandae, de Ecclesia, seu Capella, vel Oratorio hujusmodi ad respectivam eorum propriam Ecclesiam parochialem benigne per Nos transferantur. Nobis ideo humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, ut hujusmodi Ecclesiae thesauris praefati Christifideles commodius fiant participes, supplicationibus hisce permoti, deque omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnes et singulas indulgentias tum plenarias, tum partiales a Confratribus, et Consororibus Confraternitatum sub titulo B. M. V. de Rosario in Dioecesi Brixinensi canonice institutarum nunc, et pro tempore existentibus in propria respectiva Ecclesia, seu Capella, vel Oratorio, ut praefertur, lucrificandas de Ecclesia, seu Capella, vel Oratorio hujusmodi ad propriam respectivam unorumquorumque ex praefatis Confratribus, et Consororibus Ecclesiam parochialem, servata tamen in reliquis superiorum concessionum apostolicarum forma et dispositione, omnibusque inibi iunctis rite adimpletis, Auctoritate Apostolica per praesentes, ac durante earundem concessionum indulto transferimus, et translata declaramus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIX. Januarii  
MDCCCXXXIX Pontificatus Nostri Anno Octavo.



EMANUEL CARDINALIS DE GREGORIO m/p.

Nr. 730  
3

Publicentur supradictae indulgentiae in Ecclesia curata  
ad Ss. Leonardum Conf. et Oswaldum Pr. CW.  
Par. Sillia Int.

Signatum in Consistorio Brixinae die 14. Junii 1839



Jos. a Schuller  
Praefec. H

G. Mayr  
Sillia

1839

No 24.

Professur = Abbeys

GREGORIUS XVI

AD ET TERRAM REI PUBLICAE

Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text appears to be a formal document or decree.

Faint text at the bottom of the main body, possibly a signature or date.

Faint text, possibly a title or reference.



Signatum in Consistorio Romano die

